MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80408-12

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KOLSTER, W. H.

TITLE:

SOPHOCLESNE INTERDUM...

PLACE:

ITZEHOE

DATE:

1855

Master Negative #

91-80408-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88SE
Z2
Kolster, Wilhelm Heinrich, 1804-1887.
...Sophoclesne interdum ad sui temporis res gestas nos ableget, quaeritur. Itzehoe, gedruckt in G.J. Pfingsten's buchdruckerei, 1855.
17 p. 24 cm.

At head of title:Zu den öffentlichen prüfungen der Meldorfer gelehrtenschule...ladet die eltern der schüler...ein Wilhelm Heinrich Kolster... Rector. Voran eine abhandlund des Rectors...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 13
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 1-13-92 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



88SE Z2

Columbia University
in the City of New York
Library

BOUGHT FROM
THE
Henry Drisler
Classical Fund
1895

Contents.

No. 1. Kolster, W. H. Sophocleum interdum ad suis temporis res gestas non ableget, quaeritur. 1855.

No. 2. Kolster, W. H. Über das innere object im sprachgebrauch des Sophokles. 1858.

Large card

No. 3. Krichauff, E. J. S. Quaestiones de participii apud Sophoclem usu.

No. 4+5. Gleditsch, Hugo. Die Sophokleischen strophen metrisch erklärt.

No. 6. Lechner, Maximilian. De Sophocle poeta 'Amerikōtatōi. 1859.

No. 7, +8. Brück. De comparationum et translationum usu Sophocleo. 1880.

No. 9. Index praelectionum. 1822.

No. 10. Naumann. Die cäsuren im trimeter der Sophokleischen Elektra. 1877.

No. 11. Schilling, G. Über die tmesis bei Sophokles. 1884.

No. 12. Schwarz, Karl. Der accusativ des inhalts bei Sophocles. 1863.

6230
1.-
No. 1
77
13.
UNIVERSITY LIBRARY
12 m 1

Zu den

öffentlichen Prüfungen

der

Meldorfer Gelehrtenschule,

welche

vom 26sten bis 30sten März im Schullocale werden angestellt werden,

sowie zu der

im landschaftlichen Saale am 31sten März

zu begehenden

Schulfeier und Abschiedsreden

ladet

die Eltern der Schüler und Freunde der Schule

ergebenst ein

Wilhelm Heinrich Kolster, Dr., Rector.

Voran eine Abhandlung des Rectors:

Sophoclesne interdum ad sui temporis res gestas nos ableget, quaeritur.

Itzehoe, 1855.

Gedruckt in G. J. Pfingsten's Buchdruckerei.

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARY

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARY

Viri docti, qui in tragoediis Graecorum rectius interpretandis elaboraverunt, quantum studii et operae nostris maxime temporibus consumserint in tempore, quo singulae sint in lucem editae, colligendo excutiendaque memoria rerum gestarum, quae ad illa artificia componenda aliquantum valuisse videantur, id scilicet fugit neminem, nisi qui litterarum Graecarum plane ignarus est. Neque vero mirum nobis videri debet, homines doctissimos hoc maxime secutos esse, quippe qui idem fieri in nostris litteris videamus, quum edendis epistolis, quas clarissimi poetae ad amicos dederunt, tum enarranda eorum vita, publica privata, amicitiis, familiaritatibus, studiis, moribus pervestigandis. Qua re quantum Goethii, quantum Schilleri, aliorum carminibus accessit lucis et nitoris! Jam aliquanto etiam magis fulgebit Goethii carmen, illud celeberrimum quo quanta clade oppressa sit Wertheri adolescentia exposuit, editis epistolis illis, quae jam dudum hominum sermone ferebantur, quas poeta ad mulierem illam generosam, Albertumque Kestnerum ejus conjugem dedit, quasve ad fratrem, alios, quibus quae prius ingeniose ficta videbantur, jam ab ipsa natura rerumque veritate repetita esse cognoscimus. Quam in rem, qui illas epistolas edidit, Charolottiae celeberrimae filius (Goethe und Werther. Stuttg. u. Tüb. 1854, p. 15) in hunc modum disseruit: „Postridie d. X. mensis Septembris vides Goethium „illinc discessisse: jam vero evolve Wertherum videbis die X. m. Septembris scriptam fingi „epistolam illam, qua prior libelli pars finitur, et quae hunc ipsum discessum legentibus pro„ponit. Ex Kestneri autem commentario, qui hujus dici nobis informat imaginem, illud colliges, „qui fiat, ut singula verba illius narrationis verissimam amicitiam verumque amorem referant: „hinc scilicet contigit, quod ipse poeta flagrabat illa amoris magnitudine, cujus ut in omne „aevum servaret memoriam, adductus est, ut ne diem quidem silentio praetermittere voluerit. „Sejungitur enim hoc ipso momento quasi quodam fine et termino rerum gestarum veritas a „narratione ficta.“ (Fac animadvertas quaeso, quantopere ipsum genus dicendi in parte altera Wertheri a prioris sinceritate et quasi quadam castitate recedat.) „In altera parte Goethius „in suam rem convertit Jerusalemi casum deplorandum, substituit in Charolottiae Kestnerique „locum alias personas, ab horum moribus et indole non minus alienas, quam quantum, quae „iis vult accidisse, ab eorum vita abhorrent.“

Quid igitur miramur si homines illi litterarum antiquarum studiosi similia in tragicis antiquis sectantur? Sed aliquanto iniquior eorum conditio est; multorum enim seculorum spatio interjecto iniquitate temporum plurima perierunt, quae de iis eorumque rebus memoriae prodita erant, quo factum est, ut ad fingendum viri docti et conjiciendum rejicerentur, et quid veri-

268843

simile esset magis, quam quid verum circumspicerent. Quae conditio si cui misera videatur et totum illud calamitet abjiciendum, quid quaeso oppones? Tene, quum viginti quinque inde ab illo tempore secula effluxerint, nunc etiam in lucem proferre posse, quod poetae animo obversatum sit, et quum vix pauca artificia ex magno numero servata sint, tibi videri quasi silvas quasdam et lapicidinas demonstrare posse, unde eorum petita sit materia? Insaniae quidem hoc esset et dementiae, si vita Graecorum his ipsis angustiis rerum privatarum et litterarum commercii, quibus nostra, fuisset circumscripta; sed feliciter accidit, ut illi viri in luce magis fori quam in domus latebris versarentur, et rem publicam tueri mallent, quam res privatas curare. Rem enim publicam parum attigisse bono cive indignum videbatur, ipsaeque res privatae et familiares in parvis civitatibus non poterant magno discrimine a re publica esse separatae. Ita facilius fieri poterat, ut ea ipsa, quae poetarum animos vehementius commoverent et ad carmina divina pangenda incitarent, quum eadem ad salutem publicam plurimum possent, a scriptoribus rerum gestarum litteris mandarentur. Atqui si vel maxime hoc fieri potuit, quis factum esse praestet? Quodsi vero ad conjiciendi et suspicandi ablegamur licentiam, quam quaeso his rebus scribes legem? Ubi enim a probandi severitate semel recesseris et ingenio indulgens fingas magis quam judices, vide, quibus finibus arceas temeritatem, quove testimonio, quod certum sit, efficias. Quare quum ita fluctuantes videret homines, somnia captantes et inania pro certis et veris venditantes, adductus mihi videtur vir de Sophocle edendo egregie meritus, ut iratus, qui talia investigarent, ab hujus poetae ingenio divino abstinere jusserit. In ea enim quae nuper ad me allata est Schneidewinii disputatione de Trachiniis Sophocleis, Gottingae edita (1854.) in hanc fere sententiam abit vir egregius: „Est quidem tanti, inquit p. 36, inquirere in tempora, quibus fabula aliqua conscripta sit aut „docta, vel ut nihil aliud efficias, nisi, quae alius quispiam falso statuerit, aut in quas sen„tentias temere eam detorserit, refellas et praecidas. Aliquanto etiam majoris facias haec „indagasse, si liceat colligere, ad quas res illo tempore gestas referantur, quae fabula animis „informat, aut unde perspicias artem, quomodo et qua via sit exculta et suis numeris absoluta. „In Aeschylo tamen magis aut Euripide interpretando mihi illud videtur quaerendum, Sophocles „enim, quod recte et non ambigue Jon judicavit, a rebus gerendis alienus fuit, et in ea ipsa „re quam maxime mihi deprehendere videor, quantum ab Aeschyli illecebris aut Euripidis „divini poetae abhorreat ingenium, quod solo carminum pangendorum flagrabat amore, in iis „perficiendis omne studium ponebat suum. Ille quidem, qui pro aris et focis fortissime ad „Marathonem depugnasset, quique deorum religionibus celebrandis reperiendisque, ad quas „hominum mores revocarentur, legibus totum se dedisset, fieri potest, ut circumspexerit, quo „referrentur, quos proponeret mythos, neque vero is sum, qui negem, Euripidem unquam, „hominem popularem et multitudinis auram captantem, extrinsecus iis, quae componeret, „delenimenta quaedam petivisse: Sophoclem hac ipsa re ab iis differre confirmo. Quin vereor, „ut illud satis expenderint, qui tantum acuminis et doctrinae abjecerunt, ut nunc res publice „gestas, nunc alia ab omni poesi abhorrentia tangi statuentes colligerent, quibus temporibus „conscriptae essent tragoediae, quarum nos plane latet aetas. In his quasi somniis quibusdam „removendis plurimum studii et laboris posui et ita, ut hoc perfeci, profecisse mihi videor in „recte dijudicandis fabulis Sophocleis. Quare, *qui nunc etiam sibi videbitur in fabulis „Sophocleis deprehendere, quae ad rem publicam spectent*, is, opinor, *aut non, qua par „est diligentia, perpendit, quae ego ad explicanda poetae carmina dixerim*, aut *qua ego „usus sum via et ratio, ea falsa esse et perversa deprehendetur.* Quod ego tamen non „facile mihi persuaserim."

Ad haec viro egregie de Sophocle merito quid respondebimus? Ego vero non is sum, qui virum optimum a via recta aberrasse affirmem, neque tamen, qui ei assentiar; in cujus argumentis sunt, quae ita probem, ut nihil possim magis, quod sibi effecisse videtur, ita improbo, ut in alia omnia mihi videar esse abiturus. Neque enim Sophoclem quidquam a poesi abhorrens, ne dicam indignum, fecisse mihi persuadeam, (quis enim poetam divinum ad multitudinis lenocinia descendisse crediderit?), neque vero eum animo informabo, qui alienus a civium studiis, calamitatibus, doloribus, quae condidit carmina in insula desertissima non minus bene condere potuerit, quam in Athenarum luce et splendore. Qui si quidquid fecit, (quod Schneidewinium egregie demonstrasse Wolffius censet, et in ea re vel maximam hujus editionis virtutem conspici auctor est: Zeitschr. f. Gymn. 1855, Jan., p. 58) id omne ad humani ingenii indolem animique ardorem in utramque partem abreptum revocavit, num ideo censendus erit civium defugisse commercium? non ad eorum exempla revocasse, quidquid animo informaret? non leviter commonuisse, de quibus rebus cives cogitare vellet, quo sua revocasset? videbitur in summo artificio condendo, quomodo civium occurreret studiis et opinionibus, et quid illi de carmine suo judicaturi essent, contemsisse? Quid, qui id ageret, ut judicum consensu palmam ferret? Quid, qui placere et probari, quae fecisset, civibus vellet? Poetaene poterunt facere, ut, quibus rebus cum maxime civium commoveantur animi, circumspicere supersedeant? An alia lege credas Sophoclem placuisse, cujus fabulas aut vicisse scimus, aut victori judicatas esse proximas? Tantumne intererit inter ejus ingenium et Goethii, quo nostra aetas poetam majorem tulit nullum? Qui quantopere, quae scripserit, ex vitae commercio repetierit, et supra patefecimus, et si quis ipsum magis cupit audire, ablegare possumus ad itineris Italici enarrationem Opp. XXVII, p. 78, ubi magnum poetam ait cum factis ficta conjungendo tertium aliquid efficere, quod aliunde mutuatus jubeat veri speciem prae se ferre eaque re mirum in modum legentium oblectet animos. Quo loco ne quis me ad exemplum Schilleri ablegare velit, cujus quidem natura diversa est a Goethio, neque adeo ad hujus exemplum crediderim laetaturam fuisse (Opp. XXVII, p. 97), quod quae hominum sermone ferrentur, jam ipse oculis suis comprehendisset; a pueris enim sibi cum sono inani susceptam esse inimicitiam. Recte enim mihi de Schillero Vilmarus videtur judicasse (Geschihte d. deutsch. National-Literatur II, p. 244 sq.), quum eum non id egisse ait, ut quid esset informaret animo, poeticoque ingenio suo conformaret, sed ut quae suo tempore obtinerent sententiae (Ideen der Zeit) comprehenderet et poesis ope defenderet et tueretur. Schneidewinium autem virum optimum abripuit, ut paullo vehementius statueret et iracundius, aliorum quaedam perversitas et judicium praecox. Quum enim videret, esse, et eos quidem non contemnendos viros, qui aliquanto incautius de his rebus judicarent, et fortasse, ut dicam, quod sentio, timeret, ne Ad. Schoellii temeritas alios abriperet ad genus quoddam interpretandi, a quo recte judicabat probo interpreti abstinendum esse, adductus est, ut quod certis finibus coercere debebat hominum studium, abjiciendum diceret et exterminandum. Nollem factum: lites enim moventur minime necessariae. Schoellium quis laudet, aut quis denique ferat, Haemonis et Antigones amorem et pulcherrimum illud, quo Cupidinis potentia praedicatur, carmen ad Periclis cum Aspasia consuetudinem detorquentem, et (p. 136. vitae Sophocleae) de eo ita statuentem, quasi vero poeta bellum Samium a Pericle nimio in Aspasiam Milesiam obsequio conflatum notare voluerit, non ipse bello aliquanto post editam fabulam exorto a populo ejus admiratione capto imperator electus sit? Hoc est scilicet miscere tempora et somnia captare. An Schoellio Sophocles videtur, quod fama fert poetas quosdam Francogallorum facere, pridie facta noctu in fabulae formam redegisse, iisque postridie in scenam productis effecisse, ut proximo die posset imperator eligi? — Quis non vehementius

indignetur, quum p. 218 tenerrima poetam et mitissima omnium, quas novimus, fabula, Oedipo Colonensibus recepto, id egisse poetam affirmat, ut Periclis studia bellica coram spectantibus defenderet et quid homines parum intelligerent significaret? Ain tu? pro rostris haec, an in scena sunt acta? an cui videntur Sophocli, si populum monere vellet aut consilia dare, aut verba aut dicendi locus defuisse? Nihil dico de foedissimo illo lapsu, quem dicendi genere, quo utitur pulcherrimo, reparare non potest, quum raptas a Creonte Antigonen et Ismenen p. 213. ad imaginem duarum Aspasiae ancillarum, quas Megarensium insidiis abductas tradit, a poeta vult esse conformatas. Talia satius erat satiris et jambis et, si qua sunt alia poemata comica, reliquisse, aut hominum maledicentium confabulationibus et sermonibus vulgi. Has res a tragica dignitate, quin etiam ab omni omnino severitate tam remotas esse censeo, ut ejus modi allucinationum patrocinium suscipere et tantam temeritatem probare nequeam, neque tamen Schneidewinium laudare, qui modum excedentibus adversatus ipse modum excessit. Quare non mirum, sententiam eum suam non probasse collegae suo optimo, C. F. Hermanno, qui in annalibus Muetzellianis (1853, Nov., p. 866.) significavit, se brevi ab eo vindicaturum esse, quae prius de Oedipode Rege cum pestilentia Attica conjungendo censuisset. Quo promisso stare utinam et possit vir doctissimus et velit. Neque enim video, quomodo indignum videri possit magno poeta, iis, quae fieri videas ab aequalibus, quae ipse sentias, quibus vel invitus afficiaris, aut ad quae praecepta revocanda censeas aequalium studia, in carminibus pangendis cum argumentis fabularum conjungere. Non potest ille quidem quaevis in suam rem convertere, et arte non parva opus est, ut coeant nuper dicta facta cum vetustate illa, unde repetitum est fabulae argumentum, ne velut purpureus pannus sordidis assutus splendeant et male sarta videantur. Sed quoniam quodammodo lis mota est de eo, quod liceat, non abjicere mihi videor operam meam, si id egero, ut in universum, quantum potero, statuam, et quale sit ipsum illud studium sua antiquis immiscendi et qua in re conspiciatur et quibus finibus coerceatur et, si quidem fieri possit, signa quaeram, quae singulis locis testimonio esse possint, fuisse quaedam aevi aut studia aut facta, quae poetam praeter argumenti necessitatem adducerent, ut hunc maxime in modum vellet dicere.

I.

In ipso autem disputationis initio admonendi erunt, qui haec legent, paullo aliter de hac re nos esse judicaturos, aliter, qui trans Rhenum incolunt, ubi si quando Cornelii sui aut Racinii aliquam fabulam homines videant doceri, ii versus maxime dicuntur plausum multitudinis ferre, qui ea, quae nunc aguntur geruntur, aliqua similitudine videantur tangere, aut nostri aevi moribus bene et commode praecipere, quin ipsos histriones dicunt id agere, ut spectantibus haec ipsa voce gestu quam maxime commendent. Non laudo; sed ita fieri tamen video: quod autem nunc fit, pro certo affirmare antiquitus non esse factum, ni adsint testimonia, temeritatis videtur. Sed habet hic mos, quo non excusetur solum, sed cum eo, quod rectum sit et verum, certis vinculis videatur cohaerere. Neque enim id agunt poetae tragici nostri, ut Iphigeniam aliquam in scena aut virginem Aurelianam ad historiae fidem descriptam proponant, neque Graecorum poetae id sibi sumserunt, sed ut mutato nomine personae nostros nobis mores, nostrum animum, virtutem, imbecillitatem, vitia repraesentent, spectare jubeant, non quid apud nos factum sit, sed quid in animis nostris fieri soleat. Quare non possunt poetae a suorum temporum rationibus, studiis, a suorum hominum ingeniis, disciplina, moribus animum revocare. Quod uno mihi liceat exemplo docere. Sophoclis enim Antigonen in scenam

revocatam magno quodam studio a nostris hominibus vidimus comprobari; Euripidis contra Medea displicuit, ut multorum aspectu ne digna quidem videretur. Hoccine temere alicui factum videbitur et sine causa idonea? Non ita est. Qua enim virgo Thebana fratrem prosequitur pietate, eam a nostrae aetatis ingenio non alienam judicabant et admirabantur, quum Medeae furor et nefanda crudelitas ab aevi nostri indole Christianaque disciplina abhorreat. Ne nos quidem postulamus igitur, ut poetae a nostris temporibus revocent ingenia. Satis est admonuisse, quid Goethius prae se ferat Op. XXXI, p. 24, qua re adductus sit ad conscribendam fabulam, cui Praefecto civico nomen esse voluit, quid ad eam, qua Factiosorum hominum mores depinxit, aut quam Cophtharum Maximum dixit, quid amabilissime de Italorum comoediis judicaverit (Op. XXVII, p. 120) ubi, vespere, inquit, theatra adeunt et, quae diurnis studiis persecuti sunt, spectant artificiose composita, lepidissime adornata et quantum fabellis et personis a vera rerum natura remota et revocata, tantum ei morum similitudine conciliata et conjuncta. Quae exempla si quis non esse musae tragicae moneat, quid in Fausto fabula plurimis locis poeta fecerit perpendito: quin magis etiam ad illud provocabimus, quanto negotio poetae animus a suorum temporum calamitatibusne dicam an commotione vehementiore fuerit revocandus, ita ut, quo tempore de patriae salute desperabat, Sinensibus litteris operam daret, et, quo die apud Lipsiam atrocissima pugna decertatum est, nescio cujus fabulae epilogum componeret. XXXII, p. 86. Quare, si nostris hominibus tantum est temporum quasi contagionem quandam defugere, quantum antiquis credimus fuisse? Nos iis, quae fiunt in re publica, plerumque tamen non intersumus, latius enim patent civitatium nostrarum fines, et quae plurimum ad patriam nostramque salutem valent, dum fiunt et aguntur, oculis plerumque non conspicimus. Quid? quod, si in conspectu fiant, nostrum tamen non est adesse deliberantibus, a rerum gerendarum usu remoti ad nostra relegamur negotia, erudiendos juvenes, sacra administranda, vitae denique commercia? Quod quantopere abhorret ab antiquorum hominum rationibus, apud quos, quaecunque fiebant et gerebantur, in ipso fere singulorum vestibulo agebantur, et a consiliis publicis abesse aut levitatis aut nequitiae habitum est! An censemus eos ab iis rebus, quibus publice interfuissent, suadendo dissuadendo, monendo hortando ipsi gessissent aut judicassent, ubi recessissent a foro aut curia aut tribunali, illico revocasse animos? et quum mane in rei publicae fluctibus versati essent, vespere in summa litterarum umbra delituisse? Poterant illi quidem id facere, si coeli dimetiendi studio immoriebantur, aut rerum naturae investigandae flagrabant desiderio: quid poetas censemus in animo et magnitudine elato et perturbationibus abrepto versantes? Putabimusne ab aequalium moribus considerandis, exemplis intuendis, animo pervestigando ad Andromachas subito et Helenas informandas se dedisse? Quo tandem modo eas informarent, quibus coloribus depingerent? Num aliis, quam quas a foro et hominum commercio essent mutuati? Non est profecto, si aliquanto magis in illis antiquorum poetarum artificiis stupemus et vehementius ea admiramur, ulla alia causa, quam quod illi non in umbra, sed in ipso rerum gerendarum pulvere et sole concepta et animis informata sunt, non ficta quaedam hominum simulacra referunt, sed ad ipsa sui temporis exempla quam accuratissime expressa toros nobis quosdam et quasi lacertos ostendunt, denique quod non ab iis condita sunt divina illa carmina, qui lucem fugerent, sed qui in ipsa luce versarentur, exercitus ducerent, negotiis praeessent. Böckh Staatshaush. II. 462. Quin quantis necessitatis vinculis tragoedia cum ipso tempore, quo composita est, conjuncta et consociata fuerit, non est, quo magis aperiatur, quam quod non est portenti et monstri alicujus loco habita Aeschyli didascalia celeberrima, qua Argonautarum fabellas cum praesentissima historia Persarum conjunxit. Cujus rei quamquam non aliud exemplum inveniri inter

veterum didascalias monuit G. W. Nitzschius, vir acutissimus, et de hisce rebus vel inprimis meritus (Sagenpoesie p. 564), nam Phrynichi Phoenissae et quales fuerint et cum quibus fabulis conjunctae, latet, vel hoc unum exemplum docebit, quid veteres senserint; non esse majore iis discrimine heroum aetatem ab aevo suo distare visam. E quorum numero qui Sophoclem eximendum esse censebit, ejus erit idoneis argumentis docere, cur ita faciendum sit. Quem si Jon Chius (Athenaeus XIII, p. 603, F.) in vino et conviviis amabilissimum, ad jocandum et ridendum pronum, in re publica autem (Athen. XIII. p. 604. F.) gerenda neque acutum neque strenuum dixit, sed viris bonis, quales multi essent, fere aequiparandum, nae ille negavit, eum excelluisse in agendo et re strenue gerenda, abhorruisse a re publica gerenda non affirmavit. Quantum autem poetae referat eas ipsas res tractare, quarum studio homines vel maxime agantur, quis est, quin videat? Qui quo magis in hominum versabitur commercio, eo magis, quibus in rebus disceptandis aequales versentur, curabit, eo saepius facta eligendi potestate, de quibus rebus scribat, non in obviis argumentis versabitur, sed ea potissimum eliget, quibus cives delectentur: si pace utantur, domestica amplectetur et adornabit, si bellum gerant, bellicosi nescio quid poetae lyra resonabit. Sophoclem autem ne credam magis quam alios poetas vitae privatae secutum esse delicias, et multa me movent et Philoctetes fabula, quae in re publica mihi videtur quam maxime versari. Doctam scimus hanc fabulam Glaucippo archonte i. e. sub initium anni 409. a. Ch. n., quo tempore, vide quaeso, quibus procellis concussa et agitata sit Atheniensium res publica.

Deleto in Sicilia Atheniensium exercitu maximo, turbantibus sociis Asianis, Athenienses classe mittenda caverant, ne illi deficerent. Qua re quum aerrarium esset exhaustum, Lacedaemonii regis Persarum praefectis persuaserunt, ut pecunia, qua parte maxime laborabat res publica Spartana, se sublevarent ad comparandas copias navales. Quo facto quum actum videretur de Atheniensibus, Alcibiades, exsul ille tum quidem, his auctor exstitit, ut Persarum ipsi sibi compararent benevolentiam; se confidere id fieri posse, si certis quibusdam finibus circumscriberent licentiam popularem. Suis ille quidem rebus consulens ita suasit, sperans fore, ut ipse redux fieret, neque tamen animo a patriae salute alieno. Cupide autem id consilium alii arripuerunt, Phrynichus, Aristarchus, Pisander, Antiphon, qui plebi suadere conati sunt, ut potentiae suae et arbitrio renuntiaret, ita enim futurum, ut Persarum opes ad aerarium redundarent Atheniensium (Thuc. VIII, 90.), et si quis contradiceret, intolerabile et non ferendum clamaret, primo, quo tandem alio consilio salutem patriae expediret, rogabant, post, si quis contradixisset, aliquo modo de medio tollebant (Thuc. VIII, 66.). Unde tantus exortus est omnium metas tantaque animorum perturbatio, ut nemo nemini confideret, tacere satius haberet, ne ipse vi opprimeretur. Ita factione, ne dicam conjuratione, rerum potiti, libertatem sustulerunt, et rem publicam totam perdiderunt, per vim ipsi omnia administrarunt, adversarios non magna quidem crudelitate oppresserunt, non magnum enim numerum capite multatum Thucydides refert, VIII, 70., sed alios in vincula abduxerunt, alios in exsilium ejecerunt. Ad Persas autem conciliandos hac potentia sua, quod prae se tulerant, usi non sunt, sed quam dolo et fallaciis pepererant dominationem, eam Lacedaemoniorum ope retinere conati sunt.

Quae quum essent ad exercitum, qui tum Sami erat, perlata, eorumque fraus et superbia rumoribus, ut fit, in pejus aucta, incredibili milites ira exarserunt et ab imperatoribus postulaverunt, ut missis omnibus, posthabitis sociis, Athenas se contra Piraeeum ducerent. Cui tamen irae, qua proni ruebant, Alcibiades obstitit, quem meritis ob id Thucydides fert laudibus. Is militibus auctor fuit, ne hostibus cederent, domum nihil renuntiari juberent, nisi, quae facta essent, se rata non esse habituros. Quo nuntio perlato Athenis celeriter facta est

rerum commutatio, multi ex metu animos collegerunt, coeperunt apparere, quae inter ipsos victores serpebant, odia coeca, quoque latuerant diutius, tanto acerbius se jactare, occulta caede grassari coeptum, ex insidiis in ipso foro necatus Phrynichus (Thuc. VIII, 92), occupatus ab altera factione Piraeeus, ab altera urbs, neque multum abfuit, quin ferro inter se decertarent. Et iracundia tamen in dies aucta: quare quum plebs scivisset, ut rescinderetur paucorum illa potentia, e ducibus fuga apud Lacedaemonios salutem sibi quaesivere Pisander et Alexicles, Aristarchus castello hostibus prodito gratiam eorum captavit. Sublata autem dominatione quantopere erat metuendum, ne cives supplicio in civium capita saevirent? Suadebat enim mos, et vetus illud praeceptum, quod Euripidis Medea prae se fert v. 809, quae se vult esse

βαρεῖαν ἐχθροῖς καὶ φίλοισιν εὐμενῆ.

Haec autem erant gesta iis ipsis mensibus, quibus rei publicae praeesse coepit Glaucippus, cui archonti Sophocles Philoctetam tradidit fabulam, in qua tragoedia Philoctetam fecit justissima Ulixei ira flagrantem, quam ut ei remitteret et condonaret, in eo posita omnia et conservationem suam et gloriam et exercitus Graeci salutem. Quod quidem ego docere conatus sum libello ante hos undecim annos edito (Meldorfer Schulprogramm, 1844). Philoctetes autem inexorabilis se in gratiam cum inimicis negat rediturum, Hercules tamen in extrema fabula productus diis non probari hanc sententiam docet. Diis igitur Philoctetes iram suam condonat, quum fraudi, extremae miseriae, precibus, cohortationibus invictum opposuisset animum. Sed ad illa, quae dixi, ut redeam Alcibiadem Thucydides (VIII, 86) fecit in concione dicentem, parta patriae salute se de reconciliandis civibus non desperare. Quid Sophoclem censemus? Nonne nobis videmur eum audire cohortantem cives? non admonentem, quid diis probetur? An casu hoc factum esse potest? Num ejusmodi est, ut cives, quod Schneidewinio videtur (Philoct., p. 152) possint de ea re cogitasse, non intelligere potuerint et negligere?*)

Ita mihi videtur in scribendis tragoediis Sophocles tractasse rem publicam: arte et ratione tetigisse aetatis suae studia, ut quid poeta sentiret et de qua re ambigue diceret, facile intelligerent homines acutiores, non ut ad rerum gestarum imaginem conformaret fabulas. Quare si qui fuerunt, qui hunc morem poetarum tragicorum Graecorum de suis temporibus dicendi in eam detorquerent sententiam, ut poeta non videatur fabulam proponere, sed in scholis philosophorum docere, aut in foro et pro rostris versari; hi quidem nobis erunt explodendi, illud tenendum, magnum poetam non esse neglecturum, quo salva carminum natura et pulchritudine animos commoveat eorum, qui audiant. Cautissime quidem hunc locum a Sophocle tractatum, non nescio, tractatum tamen esse firmissime teneo. Quum tamen paullo minus obscure in hac re videantur esse versati Aeschylus et Euripides, quid Sophocles salvo poetae officio sibi licere crediderit paucis exponere in animo est.

II.

Exordiendum videtur ab eo, quod Philoctetae exemplo videor mihi demonstrasse, *valuisse et locum et tempora aliquantum ad eligenda fabularum argumenta*, ita ut quam virtutem a civibus laudibus ferri videret, quo errore coecos abripi, eum ipsum sibi interdum in scena tractandum sumeret, et patria laudanda amorem et contumeliis in hostes congerendis prae se ferret. Scribenda enim Oedipode fabula Colonensium hospitio recepto quid aliud egit,

*) Paullo aliter haec interpretatur, neque tamen videtur dissentire Geffers: De deo ex machina. Gott. 1835. Mützell, Zeitsch. f. G., 1854, Nov., p. 851.

quam ut ejus, ubi ipse natus erat, loci pulchritudinem summis laudibus ferret, cujus quidem naturam ita expressit, ut Cicero (de fin. V, 1, 3) ad altiorem se confiteatur Oedipodis memoriam huc venientis commoveri. Idem secutus est Theseum Atheniensibus, Aegeum, Triptolemum, Phaedram, Ajacem in scena exhibendis, in Ajace autem fortasse non patriam solam commendavit, sed ipsa tempora fabulae componendae videtur tetigisse, si quidem recte Schneidewinius metrorum maxime ratione et dicendi genere adductus censuit Ajacem aliquanto ante Antigonam esse conscriptam. Quo argumento si licet stare, apparet ad ea ipsa nos tempora deduci, quibus in Cypro Cimon bellum gerebat, Atheniensiumque classis ad Salamina Cyprium, Salaminis Atticae, ut fama ferebat, coloniam a Teucro Ajacis fratre deductam depugnavit (449 a. Ch. n.). Cimone autem praematura morte absumto qualem censemus fuisse exercitus Attici conditionem? an videbitur aliquam retulisse similitudinem angustiarum,*) in quibus Salaminii in illa fabula versantur? Non aliquanto majore luctu Atheniensium affecisse animos chorus nautarum Salaminiorum; quum patriae laudem, desiderium suum prae se ferret perditamque conditionem suam deploraret, Soph. Aj. 245? Temere haec et casu facta dicemus? — Antigone deinde, cujus praecepta Boeckhio V. C. ea videntur, ut possent cives adducere ad poetam majore honore ornandum (Soph. Antig., Berol. 1843, p. 121) num casu videtur recepisse, quae Creon de ejus, qui rem publicam gerat, officio docet, quaeve de recto consilio capiendo admonetur? Quae mihi quidem, ut de me confitear, etiam majus aliquid videtur sonare; dicam enim, quod sentio. In Creontis videlicet crudelitate, qui per praeconem vetuerat, ne quis Polynicis corpus sepulcro conderet, versatur fabula. Qua in re si tyrannus ille A. W. Beckero (Charicles III, p. 124, ed. alt.) communi in proditores animadvertendi more videtur uti, non ab omni parte mihi res probata est. Carebant enim proditores quidem sepulturae honore, neque tamen eorum corpora spectanda solebant proponi, sed ex oculis magis remota in saxa et rupes abjici. Singularem hanc esse Creontis crudelitatem vel ex iis perspicuum est, quae Antigone queritur, multoque etiam magis, quod Dii Polynicis causam suscipiunt. Homeri tamen si carmina compares, Iliadis maxime librum XXIV, vix satis intelligas, quid Creon tantum commiserit, ut tota ejus domus funditus periret. Quanta ibi v. 15 et 416 crudelitate Achilles in Hectoris corpus saevit, atque tamen Priamo videtur majore uti posse, v. 407, ut membris discerptis canes pascat, quam tamen feritatem Hecuba etiam videtur exsuperare v. 212 exoptans inimicissimi hominis sibi porrigi cor vel dentibus suis dilaniandum. Diis quidem Achillis improbatur immanitas, neque tamen omnibus, Juno enim et Minerva ejus patrocinium suscipiunt, et ipse Jupiter si σκύζεσθαι θεοὺς, nuntiari jubet, ἐμὲ δ'ἔξοχα πάντων ἀνθρώπων πεχωλῶσθαι, non ob facinoris magnitudinem moleste fert, sed ob virum principem tanta ignominia affectum tantaque saevitia tractatum. His igitur perpensis facile colligetur, inde ab eo tempore, quo haec conscripta sunt (quae aliquanto etiam post reliquas Iliadis partes plerisque viris doctis videntur esse composita**), usque ad Antigones tempora aliquantum esse emollitos mores Graecorum.

E contrario huic antiquorum saevitiae Platonis opponamus judicium, qui (de Re publ. V, 15. 16) ubi Graeci cum Graecis pugnarent, non esse homines in servitutem abigendos, censet, non vestitu et armis mortuos spoliandos, non esse negandam caesos sepeliendi facultatem, neque vero deorum templis arma inferenda; recte enim monet C. F. Hermannus (Staatsalterth. I,

*) Thuc. I, 112. Κίμωνος δὲ ἀποθανόντος καὶ λιμοῦ γενομένου ἀπεχώρησαν ἀπὸ Κιτίου καὶ πλεύσαντες ὑπὲρ Σαλαμῖνος τῆς ἐν Κύπρῳ Φοίνιξι καὶ Κίλιξιν ἐναυμάχησαν, καὶ νικήσαντες ἀμφότερα ἀπεχώρησαν ἐπ' οἶκου.

**) Dissentit Nitzsch Sagenpoesie, p. 271.

§ 9, A. 4.) in omni bello et sacra patria in periculo esse et sepulcra majorum. Jam vero media inter utrumque tempus interjecta sunt bella, de quibus Thucydides memoriae prodidit, in quibus saepissime quidem magna crudelitate saeviri videmus: in servitutem abactos post bella persica Eionenses, Scyrios (Thuc. I, 98.), Naxios, anno 473. ex libera civitate in deditionem receptos, durissime ab Atheniensibus anno 456. in Aeginetas, qui classe valebant, consultum, pollice maribus praeciso, nimis enim Piraeco videbatur Aegina imminere. Displicuisse tamen talia facta multis, et satis probabile est, et Thucydides prae se fert, tradens nefarie in Naxios consultum. Mortuorum autem corpora hoc tempore semper aut factis ad id ipsum induciis videmus sepulcro condi, aut, si quidem fieri posset, vel invitis hostibus sublata. Unum tamen habemus apud Thucydidem exemplum ei, quod Creon facit, plane consentaneum (IV, 97.). Parta enim apud Delium victoria Boeoti tropaeo constituto suisque honorifice conditis, adversariorum corpora detractis spoliis abjiciunt et custode addito, ne quis sepulcro condat, cavent. Quo facto per caduceatorem Athenienses templo, quod sui defendendi gratia occupaverant, decedere eoque polluendo abstinere jubent. Quibus Athenienses, se nihil ultro deliquisse respondent, illos nefarie et contra communem Graecorum morem facere, qui ni templum reddatur, occisorum se negent corpora reddituros. Viginti igitur post actam Antigonam annis hunc Graecis communem morem videmus fuisse, ne mortuis sepultura negaretur: quid si hac fabula docenda Sophocles aliquantum ad stabiliendum hunc morem fecit? quid si imperator in bello Samio electus est ab iis, qui illam saevitiam improbabant, poetam sperabant imperio ornatum impediturum, quod in scena improbasset? quid si erat, quod in hoc bello crederent majore saevitum iri crudelitate? Solent enim fere in civilibus dissensionibus, quarum simile erat certe bellum illud Samium, asperius homines in adversarios consulere, et Duris certe Samius, qui quidem Plutarcho (Pericl. 28.) non optimus videtur auctor, summa tradit a Pericle crudelitate in Samios saevitum esse, navium praefectos per decem dies male mulcatos, fustibus ad mortem esse caesos, corpora sine sepulturae honoribus abjecta. Cessit igitur poeta vel cum imperatoria dignitate suorum odiis; sed mihi quidem Sophoclis persona non indigna videtur, quam ante Platonem censeam suasisse, ut nefaria in bellis crudelitate abstineretur.

III.

Quodsi igitur ad quaedam argumenta fabularum eligenda ea valuerunt, quae poetae tum temporis maxime videbant civibus probari aut improbari, si non aspernabantur, quid sibi de civium studiis eoque, qui tum obtineret, rerum gerendarum more videretur, tecte quidem interdum, sed ita tamen dicere, ut prudentioribus posset sufficere, num, quod valere ad tragoedias componendas diximus, ad partes earum negabimus valere? Si fecerimus quomodo causam probabimus? Argumenta fabularum poetae tragici aut ex carminibus epicis, quae multa fuderat antiquitas, aut ex fama populari repetebant; felici tamen casu accidit, ut complures nobis servarentur fabulae, quae eodem argumento alia ab alio poeta compositae essent. Quibus comparandis facile intelligemus, quam multa poetis tragicis fuerint invenienda et traditis addenda, ut in scenam possent produci. Clytemnestram poeta ut (Elect. 415.) nobis ostenderet diris somniis exagitatam, per somni quietem ab ea conspectam esse dixit Agamemnonis umbram domum reducis, ad focum defigentis sceptrum, quod ipse, dum in vivis erat, esset gestare solitus, ex quo in terra defixo propullulasse stirpem, quae Mycenatem agrum totum umbra sua obtegeret. Dexterrime ita lepidissima narratiuncula Herodoti, qui aliquot ante decenniis opus ediderat, resarcivit, si quid deerat in traditionibus fabularum. Quid vero? ad talia comparanda,

fingenda, conformanda iis solis, quae legisset, Sophocles usus esse videbitur, quae fieri videret, contemsisse? In Oedipode Rege quum posset Thebanos facere terrae motibus, fluctuum et imbrium vi, prodigiorum terroribus adductos confugere ad regis auxilium implorandum, pestilentiam, quae nuper erat Athenis grassata, elegit, cujus clade exagitatos fingeret Thebanos. Qua re effecit profecto, ne quis spectantium non satis intelligeret, quanta clade commoti essent Thebanorum animi, neve animo tranquillo aliena spectaret mala, sed ut quisque eorum, quae ipse perpessus esset, memor inde a primo initio tragoediae, ubi animi spectantium solent placidi esse et quieti, intima statim misericordia commoveretur, neve quis nimium aliquantum in scena plorari secum statueret. Quare si cui crudelius videtur, homines de iis, quibus modo defuncti essent, laboribus et aerumnis admonere, is et non sine causa idonea ita factum recordetur, et meminerit in laudationibus nos mortuorum cum summo luctu ob mortuorum desiderium suscepto multisque lacrimis nescio qua tamen secreta voluptate affici. Lacrimas autem ciere et misericordiam movere cui ab omni parte videtur immanitatis esse, ei auctores erimus, ut a tragoediis spectandis abstineat. Jam quum insigni aliqua clade perisse nuntiandus esset Orestes, tantoque id esset difficilius persuadere, quod vivere Orestam sciunt, qui spectant, possetque poeta praevidere, fore qui nimiam Clytemnestrae credulitatem accusarent, vide, quo sit artificio usus. Versibus suis expressit calamitatem, quae nuper, quod credibile est, ludorum foedaverat celebritatem, commotisque vera calamitate commemoranda spectantium animis ab incusando eos revocavit. Philoctetae contra animum quum facere vellet a Neoptolemo capi et deliniri, ita sibi facillime id assequi posse visus est, si Neoptolemum eosdem cum illo casus faceret et calamitates amicorum deplorantem; ita enim videbat fore, ut quasi quodam calamitatis consortio inter se jungerentur. Quos tamen ne quis minus commoto animo et frigido spectaret, ita rem instituit, ut paene facere Athenienses non possent, quin de magna illa calamitate cogitarent, quam paucis annis ante in Sicilia erant perpessi. Ita exagitatis ipsorum spectantium animis effecit, ne vehementius viderentur exagitari, qui agerent.

Possum plura fortasse afferre exempla, quibus Sophocles mihi in conformandis tragoediis usus videtur, quae aut sibi accidisse aut aequalibus, amicis spectantes meminissent. Quae si quis improbet, Sophoclem talibus abstinuisse censeat, docendum erit, cur abstinuerit? Quin ille, si de exsilii malis in fabula dicendum esset, aequalium alicujus in exsilium ejecti calamitates sibi ante oculos constitueret? si collocasset, cur ad quem ea dicta pertinerent, non agnoscerent, qui spectarent? aut cur ipse agnosci nollet? Nam in ea re posita sunt omnia, ut poeta ambiguitate quadam utatur, de Telepho aliquo multitudini videatur dicere, de Alcibiade iis, qui sapiant? An censebimus in Sophoclem non cadere, ut ambigue dicat, qui ubi in fabula vera tegenda, alia per speciem dicenda sunt, tanta utrumque arte conjungat, quantam in Electrae cum Aegistho colloquio admiramur?

Hinc opinor lux affundetur loco, qui in obscurioribus est, et quem, quod sciam nemo expedivit. Julius enim Pollux esse affirmat, tragoedias, in quibus parabasis inveniatur, Euripidis satis multas, esse etiam Sophoclis nonnullas. Cujus quidem haec sunt verba: Onomast. IV, 111. *Τραγικὸν δὲ οὐκ ἔστιν (ἡ παράβασις) ἀλλ' Εὐριπίδης αὐτὸ πεποίηκεν ἐν πολλοῖς δράμασιν. ἐν μὲν γὰρ τῇ Δανάῃ τὸν χορὸν τὰς γυναῖκας ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιήσας παρειπεῖν, ἐκλαθόμενος, ὡς ἄνδρας λέγειν ἐποίησε τῷ σχήματι τῆς λέξεως τὰς γυναῖκας. καὶ Σοφοκλῆς δὲ αὐτὸ ἐκ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ἁμίλλης ποιεῖ σπανιάκις, ὥςπερ ἐν Ἱππόνῳ.* Est autem parabasis comoediarum, carminis chorici genus, quod eundem ibi, quem in tragoediis primum stasimon locum occupavit, ut altera fabulae parte absoluta chorus id in orchestra relictus dicendo aut canendo agat. Tragoediarum autem chorus quum in stasimis

ad se ipsum de iis, quae in scena aut acta sunt, aut quae exspectat futura, dicat, poeta comicus missis iis, quae in scena fiunt, de semet ipso suisque rebus (*ὑπὲρ ἑαυτοῦ τι ποιήσας παρειπεῖν*) chorum permutatis ordinibus desertaque thymele facit ad spectatores dicentem. Non possunt Pollucis verba dicta esse de carminis forma, quae in tragoediam certe non cadit, de qua pluribus ego libello anno 1829. edito disputavi. De carminis nomine dissensio est. Ego de permutando loco, in quo chorus stetisset, interpretatus sum, et eodem modo G. Hermannus, eo nomine solum me reprehendens in Jahnii annalibus 1830. p. 297, quod scholion secutus dici posse *τὸν τόπον παραβαίνειν* putarem. Aliter vir a pueris mihi familiaritate conjunctus, litteris praematura morte ereptus, H. Köster, cui *παράβασις* nihil aliud quam *πάροδος* visa est significare, oratio chori coram populo prodeuntis. Ab utraque diversam nunc amplector sententiam. Quem ad modum enim *παραβαίνειν* peccantis et legis praecepta transgredientis est, (Plato Crito p. 52. D. *ὁμολογίας παραβαίνεις.* Herod. VI, 12. *τίνα δαιμόνων παραβὰς*, quo numine laeso.) ita idem substantivo significatur in scholio ad Soph. Ant. v. 554: *προεῖπόν σοι τὰς ἐσομένας τιμωρίας ἐν τῇ παραβάσει*, dixi tibi quid in transgressione inesset poenae. Simili ratione Strabo p. 15. D., cui *παράβασις* fines circumscriptos egredientis est. Hinc mihi etiam hoc carmen comoediae videtur nomen accepisse, ut esset quasi quaedam transgressio finium et terminorum, quibus comoedia videretur contineri. Itaque Plato comicus teste scholiasta ad Aristophanis Pacem v. 733. inquit: *εἰ μὲν μή τι λίαν ὦνδρες ἠναγκαζόμην στρέψαι δεῦρ', οὐκ ἂν παρέβην εἰς λέξιν τοιάνδ' ἐπῶν.* nisi ultima necessitate cogerer, non in talia verba *abirem.* Hanc autem primam fabulis legem Aristoteles tulit, ut esset simplex duntaxat et una, quae tamen aperte laeditur, si, qua in re Gepperto videtur conspici parabasis vis et natura, (d. altgriech. Bühne p. 229.) poeta ibi de semet ipso dicit, et iis, quae fabula edenda secutus sit, aut quid, qui spectarent, prius de fabulis suis sensissent: cum qua re tamen plane consentiunt, quae ex Polluce attulimus, cujus verba cave in eam sententiam deflectas, ut nihil ibi poeta nisi masculinis, quas dicunt, formis mulieres de se fecerit dicentes. Ita enim fieri non potuit, ut grammatico illud parabasis magis quam soloece dictum videretur, aut ut poetam de semet ipso dicere affirmaret. Mirabilia quidem videntur, quae Pollux tradit, et quibus fidem verearis addere, quum praesertim in iis, quae nobis servatae sunt tragoediae, nullum reperiatur ejus generis exemplum: at tam confidenter dicit, tam plane, ipsam denique Sophoclis, qua id fecerit, nominat fabulam, ut fidem ei negare audaciae mihi et temeritatis videatur. Quodsi aliquid ejus auctoritati dabimus, concedendum erit choro tragico, ut interdum de ipsius poetae aut rebus et consiliis quaedam fabellis immiscuerit. Sin erit, qui inauditum id, monstri et portentique simile, dicat, exemplo afferendo eum mitigare conabor. Polum enim tragoedum A. Gellius (N. A. VII, 5.), quum agenda esset Electrae Sophocleae persona, ut verissimam lugentis speciem prae se ferret, ubi Orestae affertur urna, hoc excogitasse tradit artificium: filii immatura morte abrepti sibi jussisse afferri urnam, et ita verum luctum paternum cum ficto et inani miscuisse ploratu. Quid autem vetabat poetam, si verbi causa nuper ab expeditione redux imperio se abdicasset, Agamemnonis personam aut Ulixei de Troja capta facere dicentem, quae ipse de bello nuper gesto sentiret, aut chorum e militibus ab expeditione redeuntibus compositum ipsius causam agentem? Quid, inquam, prohibebat, quo minus eos ita dicentes faceret, ut non solum cives, sed ne interpretes quidem Alexandrinos, a quibus Pollux sua sumsit, quid poeta in animo haberet, fugere posset? Hanccine non licebit quasi quandam parabasin tragicam dicere? Ipsa quidem generis tragici severitas et natura faciet, ut arctissimis haec finibus circumscribenda videantur, nam illud ne Euripidem quidem opinor laturum fuisse, ut chorus, quae a fabula plane essent aliena, actibus

intercineret, in Sophoclis non cadit ingenium; ad illud potest uterque fecisse, ut carmine uteretur chorico, quod videri quidem posset ex iis, quae in scena agerentur esse ductum, ambigue tamen dicendi artificio ita abuteretur, ut suas poetam res agere sua studia tangere spectantium neminem fugeret.

IV.

A deligendis fabularum argumentis descendimus ad partes conformandas explendaque omnia, si quid ad perficiendam concinnitatem videretur abesse. Deligere autem, quod delectet, acuti est ingenii, quod conducat et prosit civium vitae et moribus, animi fortis et ingenui; apte conformare, explere et affingere, quae desint, sollertiae est, quid opportune oblatum sit, acute intelligentis et dextre in suum usum convertentis. Superest, ut ad singula abeamus, *sententias, dicta apte ornanda*, collustranda, conformanda. Quo loco minime mirum videri possit, si in summas oratio nostra incidat contentiones et salebras, sed nescio, quo pacto fiat, ut hoc loco nemo contradicat, concedant, ubi minime necessarium sit, poetam ad sua tempora confugere, (hoc enim ornatu carere poterat) in illis, de quibus supra diximus, ubi apte inventis poeta carere non potest, dubitationem commovere conentur. Sed nos non homines impugnamus, verum quid factum sit, quaerimus. Non ab omni parte Sophoclem abhorrere a doctrina quadam ostentanda, ab omnibus concessum est. Non ille quidem delectatur jactandis Aeschyleo more multorum populorum nominibns, quae tum primum aut per Hecataei opus divulgatum aut ex captivorum Persarum narrationibus accepta Athenis opinor esse audita, at ex iis, quae legisset tamen quaedam fabulis suis inseruit. Ex Herodoti opere eum multa sumsisse, in confessis est, cujus libri quanti ab aequalibus facti sint, ex Sophocleis Euripideisque fabulis hujus operis lectionem prae se ferentibus facile colligas. Ita celeberrimum illud Solonis dictum, quo is Croesi contudit superbiam (Herod. I, 32) in primum versum Trachiniarum receptum, *antiquitus* inter homines statui affirmans, non posse recte de hominum aevo judicari, utrum felix an deplorandum sit, nisi supremo die defunctum hominem videris. Quid erat, quod antiquitus ita homines sentire diceret, nisi de Solone et Herodoto homines litteris institutos commonere in animo erat? Eodem modo quum versu 171. Trachiniarum commemorandum esset oraculum Dodonaeum, quid de ejus origine Herodotus (II, 55.) tradidisset, ornandi causa significavit, quid tandem spectans, nisi ut homines doctos Atheniensium de iis, quae legissent, commoneret et quasi praetereundo oblectaret, qua quidem re facile supersedere poterat.

Aliquanto graviora sunt ea, ubi ad significandam animi commotionem dicentium ipsaque dicta collustranda, ad exempla et comparationes confugiens ejusdem scriptoris vestigia legit. Ita Oedipus (O. C. 338.) extremae filiorum desidiae contemtum prae se ferens in Aegyptiorum eos morem se transformasse ait, ubi omnia contra quam apud alios homines fiant, mulieres emant vendant, mares domi desides lanificiis operam dent. At Oedipodi quid cum Aegyptiis? Herodotum scilicet secutus est haec II, 35. narrantem. Oenomai itidem in cognomine tragoedia saevitiam detestatus, ad Scytharum morem nos deducit, qualem Herodotus IV, 61. descripsit, ut cutem ab hostium occisorum capite detractam ex equorum phaleris gloriabundi suspenderent, qua ad detergendas manus sanguine respersas uterentur. (Oenom. fr. 420. Dind.) Eadem est causa commemoratae in Antigone (v. 1120.) Italiae, interpretum assensus non idem; illis enim locis ad Herodoti opus, recenter illud quidem editum, hoc ad rem brevi ante factam orationem conformavit. Inter quas causas quid intersit, ego vero non satis intelligo. Quo quidem loco chorus Bacchi laudes celebrans nihil prius sibi dicendum

putat, quam quantae deo sit Italia curae. Thebas si diceret, Nysam, Indiam, alia, mirum non foret, at quae Dionysi sunt in Italia res gestae? At meminerat poeta non adeo multis ante mensibus Thurios coloniam missam, aderant colonorum fratres in theatro, consanguinei, amici. Quos poeta commonuit, colonos, ut celebritate et splendore illorum dierum festorum essent privati, at ab ipsius numinis tutela non esse alienos; ex oculis remotos, animis praesentes, quin ipsius dei cultum in ipsam Italiam deducturos. Quomodo poterat poeta, cui deo sacrorum minister ipse aderat, eum in scena magis celebrare, quam si spectantes admoneret, hoc ipso tempore illud, quod in scena laudibus ferebatur, numen, et ab ipsis, et a consanguineis quamvis longissime remotis coli?

Est etiam tertia ratio, ob quam tragici ad suorum temporum res gestas confugisse putandi sunt, ut comprobarent ea, quae personam aliquam fecissent dicentem. Qua in re, quis nescit, quantopere hominibus omnibus in deliciis sit exemplis uti, ad alios provocare, qui idem aut sentiant aut faciendo probent, testimoniis perficere, quod rationibus probare aliquanto difficilius sit? *Quid tragicos? censebimus ab afferendis exemplis, testimoniis abstinuisse?* Sed unde ea peterent? A mythico, quod dicas, tempore solo? At ibi magna penuria, ipsa vero exempla quod pejus est, paullo indoctioribus parum nota, et ea de causa ad id, quod debebant efficere, parum idonea. Quam multa invitarint poetam, ut hoc certe loco suorum temporum exempla in suum usum detorqueret, vides. Ad tamen ad certos homines provocare non licebat: est autem in hoc genere disputandi ea in re positum plurimum, nam si dixeris Solonem ita aut Thaletem sentire, multo major erit auctoritas, quam si sapientissimum quemque; quae tamen erat rerum conditio, aliter facere poeta non poterat. Qua re id quidem effectum est, ut raro hoc genere poetae uterentur; usum esse Sophoclem, non est, qui neget. In Electra enim Orestes (v. 55—61.): Noli timere, inquit, nihil ad me inde redundabit incommodi, si verbo peream, re supersim et gloria potiar. Me quidem judice quod prosit verbum mali ominis est nullum. Saepe enim vidi sapientes, quum vulgi sermonibus perissent, ubi redirent etiam majore in honore esse. G. Hermannus, qui ad tragoedias intelligendas quondam aetati nostrae facem praetulit, a. h. v. „Mirum, inquit, de Zaleuco Pythagora, de Epimenide, „de Solone, de Aristea Proconnesio, de Zamolxide aliisque cogitasse interpretes, quasi σοφοὶ „necessario, qui proprie Sapientes vocantur, intelligendi sint, ac Sophocles non potius viros „ob prudentiam claros dixerit, quos saepe in exsilium mitti et mox revocatos majore in honore „esse Athenienses videbant.“ — Ad ea quidem, quae dicimus, nihil interest, ab utra parte stemus, anachronismum enim, quem dicunt, ad unum omnes agnoscunt, de tempore dissentiunt: nam Orestes quidem de Pythagora non magis quam de Protagora et Diagora dicere potuit. Quare si cui magis placebit ad aliquanto vetustiorem memoriam haec referre, me facilem habebit: ego vero Hermanno assentiar et δόμους plurali numero dictum premens de uno aliquo dici negabo. Quare conjungant cum Pythagora Zaleucum, si ita videbitur, ut negent Electram in ultimis esse, quas Sophocles composuit fabulis, me quidem judice vel illa tristitia, quam in extremis fabulae versibus chorus prae se fert, morte multandum esse censens, quicunque contra leges facere conetur, quo minor sit sceleratorum numerus, testimonio erit, a sene conscriptam esse hanc fabulam, quo tempore plurima scelera in rem publicam proruperunt, id est quo causa de Hermis mutilatis Athenis acta est (Meldorf. Schulprogr. 1849.). Non inutile fuerit in hanc rem comparasse, quae Philoctetes fabula simillima habet, v. 416. 428. 446 sqq.

V.

Sed vela colligamus; satis enim mihi videor, quid de singulis videatur, significasse, jam in universum quaeramus et quum, quem ad finem illa referenda sint, dixerimus, *quibus terminis contineantur*, videamus, ut statuamus quid sit a poetis tragicis abjudicandum, id enim etiam videtur reliquum esse. Ex tribus illis, quae proposuimus, id, ex quo principium fecimus disputandi, vel nostris poetis laudi daretur, temporum studiis odiis occurere sive corrigentem sive inflammantem. Alteri illi timide et caute nos locum concedimus, tertium aspernamur et poetae, hunc esse anachronismum clamitantes, vitio damus. Veteres autem temporum rationem minus curabant; anachronismum, quem nos vocamus, non norant, modo ne ipsa nomina afferrentur; id magis agere videntur, ut in scena nobis, non prisci temporis cultum, habitum, mores, sed ipsam suorum temporum conditionem proponant. Quare personarum ingenia, rei publicae, quam confingunt formam et deorum cultum ab omni parte ad praesentis aevi statum conformant. Ut verbo defungar, quam in scena informant aetatem, eam a praesente opera data non disjungunt, sed, quantum per argumenti naturam fieri potest, maxime conjungunt, et Oedipodem, non velut qui ante quingentos vel sexcentos annos vixerit, sed velut aequalem faciunt dicentem, quasi vero, quae in scena fiunt, loco solo, non tempore a spectantibus remota sint, talia proponantur, quae in alia terra longius ab ipsis distante, non alio tempore agantur. Neque enim hoc iis videbatur esse poetae, reperire, quid multis ante seculis esset gestum, et ad memoriae fidem narrare, sed quae esset natura hominum, quibus legibus astricta, quibusve perturbationibus obnoxia proponere. Agendum poetae videbatur, ut quam certissima imagine informarent, ad quantam animus virtutis magnitudinem et pulchritudinem posset evehi, ad quanta studia abripi, quibus perturbationibus vexari, quantis calamitatibus mergi, quanto animo iis resistere, aut quanto cum luctu succumbere. Neque vero id spectantium referre videbatur, ut quid alius aevi homines aut pati aut efficere potuissent, intelligerent, sed ut alios videntes se ipsi intuerentur, quid ipsi possent assequerentur. Ita tamen tecte et simulando poetae tragici cursum suum tenebant, ut caverent ne admonerentur, qui spectarent, se per speciem rerum antiquarum de natura humana doceri, qualis et tum fuisset et nunc esset, *antiqui temporis rationem habebant, quantum necesse erat, praesentis conditionem informabant, quantum per argumentum poterant.*

Postquam antiqui quomodo de hoc genere miscendae cum suis temporibus antiquitatis senserint, exposuimus et ipsam rei vim et naturam perscrutati sumus, ad alterum illud transeamus, ut, quibus eam finibus circumscripserint, videamus. Quo loco tria mihi quaerenda videntur et *quid receperint*, et *quo loco*, et *num idem omnes*. Atque ad primum quidem quod attinet, si recte de hac re judico, duas mihi videor esse leges laturus. Atque alteram non est quod multis exponam, cavisse poetas, ut ne immemores viderentur, hanc esse veniam sibi datam, non libertatem concessam, quare, tecte et modice et ratione hoc genus adhibendum esse: alteram autem, ne vim et naturam tragoediae negligerent. Est autem tragoediae vis et natura Aristotele auctore in eo posita, ut res imitetur magnas, serias, graves. Quare si quis censeat in aliqua tragoedia Sophoclem id egisse, ut pro Pericli rerum gerendarum ratione publice propugnaret, non erit audiendus, neque enim illud est res gestas imitantis, sed agentis, quare a scena erit ad rostra ablegandum. Tragoedia autem docere bellum Samium propter Aspasiam esse conflatum, ut exemplis quodammodo rem probemus, levitatis esset, virginum nobilissimarum generosissimam pietatem cum ancillarum lascivia comparare vile est et abjectum. Tragoedia autem sicut omnis est gravis et severa, ita in his etiam ab omni abhorrebit, quod

exile videbitur aut leve, quod ridiculum aut jocosum, quod si, ut fit in vulgari fabularum fama, conjunctum sit aliquatenus cum iis, quae poeta elegerit, argumentis removendum erit et celandum (quemadmodum sunt, qui indignentur Jolen Herculis jussu cum Hyllo matrimonio jungi) non extrinsecus inferendum et accersendum. Maxime hoc cadere in ea, quae primis duobus locis posuimus (II. III.), non est, quem fugiat; nam in singulis dictis aut ornandis aut confirmandis erit etiam paullo levioribus locus, dummodo ne ridicula sint. Quem ornatum *utrum omnis tragoediae locus* recipiat, si jam quaesiveris, non esse, respondeam, qui non recipiat, sed esse, qui quodammodo desideret, quod in exponendis exemplis significavi; quo loco aut personae majorem animi commotionem prae se ferant, aut poetae intersit, vehementius commoveri eos, qui spectent, ut iniqua eorum effugiat judicia, et quae afferat iis quam accuratissime ad rerum veritatem descripta exhibeat. Ita ne Thebani ob male affectam patriam nimis viderentur plorare, eam eorum calamitatem fuisse voluit, qua commemorata Athenienses non possent non commoveri, et ne cui Clytaemnestra nimis videretur credula, vere facta argumento mythico addidit. Quare ut tenuissimo poeta utetur sermone, minime commotos exhibebit animos, ita maxime ab illo abhorrebit artificio. Tota autem res quum in ornando versetur deleniendisque spectantium animis, et revocanda sit ad dijudicandum, quid deceat, quid honestum, quid pulchrum sit, (de qua re homines maxime solent dissentire et suo quisque maxime judicio stare) apparebit alios aliter in ea re esse versaturos et si ultimo loco quaesivimus, *num idem omnibus poetis probatum*, quid de ea re mihi videatur, facile patebit. Aliquatenus ab ejus viri doctissimi partibus stabo, quem impugnavi, et Sophoclem parcius eo genere et verecundius esse usum confitebor quam Aeschylum et Euripidem, non in ludibrium eam rem et quasi quasdam blanditias convertisse, non animi causa fecisse sine idonea causa, sed semper fere, ut animum prae se ferret concitatiorem. Hoc dederim; plura mihi non videor posse concedere.

I. Schulnachrichten.

Daß das zurückgelegte Schuljahr ein höchst bedeutsames für die Anstalt gewesen sei, wird in unserer Nähe ein jeder sich selber sagen: es ist ja die Hälfte des Lehrercollegiums auf einmal neu geworden. Liebe Collegen, die Jahre lang mit uns zurückgebliebenen Lehrern zusammen gearbeitet hatten, sind von uns geschieden: aber je mehr Ditmarschen inne werden wird, was seiner Schule in vier Lehrern, die an andern Schulen schon Erfahrungen gesammelt und ihre Tüchtigkeit bewährt hatten, ist geschenkt worden, um desto dankbarer wird es auf die hohe Behörde hinblicken, die so für seine Jugend gesorgt hat, und gewiß bald Ursache finden, dies Jahr in der Geschichte der Schule roth zu zeichnen.

Beim Schlusse des vorigen Jahres blieb eine Lücke im Lehrercollegium zurück: das Conrectorat hatte seinen Vertreter noch nicht gefunden. Am 24sten April empfing jedoch das Rectorat vom Königl. Ministerium die Anzeige, daß Herr Dr. Witt aus Horst constituirt sei, die Unterrichtsstunden des Conrectors zu übernehmen, und am 7ten Mai traf derselbe hier ein und begann alsbald auch seine Lehrstunden, während Herr Dr. Bechtmann das Ordinariat der Secunda übernahm.

Am 7ten Juli erfreute uns Herr Etatsrath Trede mit seinem Besuche, inspicirte an diesem und den folgenden Tagen die Schule und wohnte dem Unterricht der einzelnen Lehrer bei. Am 10ten versammelte derselbe das Lehrercollegium im Rectorate um sich und ermunterte, während er sich durch den Stand der Schule befriedigt äußerte, die Lehrer, den Kampf des Idealen, das die Gelehrtenschule ja dem Streben des Realismus gegenüber zu vertreten habe, muthig und kräftig durchzukämpfen.

Bald darauf aber kamen bereits die Vorboten, daß dem Lehrercollegium, wie es hier um seinen Inspector versammelt gewesen, eine fast gänzliche Auflösung bevorstehe, und der 29ste September brachte die Entscheidung. Es ward dem Rectorate die Anzeige, daß der hier als Subrector constituirte Herr Dr. Bechtmann von Sr. Majestät als zweiter Lehrer an dem Realgymnasium zu Rendsburg mit dem Titel „Rector" constituirt, daß der sechste Lehrer, Herr Jansen, zum fünften Lehrer in Kiel ernannt und Herr Dr. Witt als achter Lehrer in Glückstadt constituirt sei. Zu derselben Zeit entschloß sich der als achter Lehrer hier constituirte Herr Candidat Kürschner, einem vortheilhaften Rufe von der Eutiner Schule zu folgen, sich dort als Collaborator und Religionslehrer constituiren zu lassen. In Folge dessen hatte der Rector am nächsten Tage bei Gelegenheit der Entlassung dreier zur Universität übergehenden Primaner zugleich von vier Collegen Abschied zu nehmen, und er that das mit tiefbewegtem Herzen und den wärmsten Wünschen für die scheidenden Freunde und Collegen.

Doch derselbe Augenblick, welcher nahm, gab auch wieder. Mit jener Nachricht war die Anzeige verbunden, daß Se. Majestät den bisher als Conrector an der Rendsburger Gelehrtenschule constituirten Herrn Heinrich Hagge zum Conrector, den bisherigen fünften Lehrer in Kiel,

Herrn Wilhelm Theodor Jungclaussen, zum Subrector, den bisher als sechsten Lehrer in Rendsburg constituirten Herrn Dr. Otto Kallsen zum sechsten Lehrer hieselbst allergnädigst ernannt habe. Schon am 7ten October folgte dieser Anzeige die zweite nach, daß Herr Candidat Peter Nicolaus Adolf Beckmann aus Schleswig vom Königl. Ministerium als achter Lehrer constituirt sei. Für eine so große Umgestaltung wollte freilich die gewöhnliche Zeit der Ferien nicht genügen, sie wurden mit Bewilligung der Behörde um 14 Tage verlängert. Nach Verlauf derselben waren die sämmtlichen neu ernannten Herren Collegen eingetroffen, und am 23sten October führte der Rector sie sämmtlich in Gegenwart der versammelten Schüler und eines zahlreichen Publicums in ihr neues Amt ein, und am Nachmittage desselben Tages begannen wir den Unterricht. Mögen wir lange, mögen wir freudig und zum Segen der uns anvertrauten Jugend mit einander wirken.

Die Frequenz der Schule hat von Ostern bis Michaelis 82 Schüler, nämlich 14 Primaner, 16 Secundaner, 18 Tertianer, 21 Quartaner und 13 Quintaner betragen. Um Michaelis gingen 3 Primaner, Johannes Wilhelm Boysen aus Neuenkirchen, Johann Heinrich Otto Meyer aus Wilster und Claus Johann Heinrich Mahlstedt aus Poppenwurth, zur Universität ab, ersterer, um sich der Philologie, die beiden letzteren, um sich der Theologie zu widmen, und wurden am 30sten September vom Rector feierlich entlassen. Ein Secundaner mußte wegen Ungehorsams entfernt werden. Im Wintersemester zählte die Schule ebenfalls 82 Schüler, nämlich 14 Primaner, 12 Secundaner, 21 Tertianer, 21 Quartaner und 14 Quintaner. Aber schon den 8ten November machte ein zehrendes Uebel dem Leben des Primaners Dierk Ossenbrügge vom St. Michaelisdonn ein Ende. Wir verloren an ihm einen talentvollen und äußerst strebsamen Schüler.

Die Hoffnung, der wir am Schlusse des vorigen Jahres uns hingaben, daß in diesem Jahre der Anfang mit dem Bau eines neuen Schulhauses werde gemacht werden, ist leider nicht in Erfüllung gegangen, und die Schule seufzt noch fortwährend unter den Nachtheilen der eben so ungenügenden und beengten, als unbequemen und nahezu unanständigen Localitäten. Möchte das neubeginnende Schuljahr den so gerechten Wunsch erfüllen. Es wird oft viel zu gering angeschlagen, wie viel Nachtheil eine unschöne und schmutzige Umgebung dem jugendlichen Sinn bringt, und wie viel Rohes und Ungeschlachtes in der heranwachsenden Jugend aus dieser Quelle stammt, oder doch aus ihr seine Nahrung erhält.

Die Schulbibliothek empfing in diesem Jahre von dem Königl. Ministerium die Fortsetzung der Jahresberichte aus dem Geheimenarchiv, wofür wir nicht ermangeln, demselben unsern gehorsamsten Dank auszusprechen. Außerdem hat sie noch einen doppelten, werthvollen Zuwachs erhalten, einmal, indem sie eine Zahl geschichtlicher Werke erstand, welche Herr Professor Prien hier zurückgelassen hatte, und dann, indem die geographische Gesellschaft, welche hier 15 Jahre bestanden hat, bei ihrer Auflösung ihre Büchersammlung der Schulbibliothek in Folge eines vor Jahren gefaßten Beschlusses schenkte. Die gedachte Gesellschaft war 1838 von dem damaligen Collaborator, Herrn Dr. Dreis, im Verein mit den Herren Advocat Boie, Braasch (später Kirchspielvogt), Kammerrath Schnepel, Kirchspielvogt Hansen (gegenwärtig Landvogt von Norderditmarschen) und Advocat Aye (jetzt Kirchspielvogt in Marne) gestiftet, und später gehörten ihr kürzere oder längere Zeit nebst dem Unterzeichneten als Mitglieder an: Herr Landvogt Lempfert, Herr Branddirector Henrici, Herr Graf A. Reventlou (gegenwärtig Amtmann in Tondern), Herr Secretair (jetzt Kirchspielvogt) Karstens, Herr Advocat Neuber (jetzt Kirchspielvogt in Eddelack) und Herr Advocat Peters. Im Winter versammelten sich die Mitglieder wöchentlich einmal, und ein Vortrag, den Herr Dr. Dreis regelmäßig hielt, und in welchem er theils den Stand unserer Kenntniß von den einzelnen Welttheilen und Ländern, der Verbreitung der einzelnen Thier- und Pflanzengattungen,

theils die Elemente und die Geschichte der Geologie darlegte, bildete den Mittelpunct einer weiteren Besprechung, die für alle Theilnehmer eben so viel wissenschaftlich Anregendes, als gemüthlich Erheiterndes hatte. Daneben sammelte die Gesellschaft aus regelmäßigen Beiträgen, zu welchen auch mehrere auswärtige Mitglieder beisteuerten, die oben genannte Bibliothek von Reisebeschreibungen und interessanten geographischen und geologischen Werken. Die Entfernung des Herrn Dr. Dreis, der Stifter und Seele des Ganzen gewesen war, gab der Gesellschaft eigentlich den Todesstoß, und die Veränderungen des Wohnortes und der Tod lichteten den Freundeskreis, dessen Mitglieder die genußreichen Abende nicht leicht vergessen werden, die sie ihrem Vereine verdankten.

Die Naturwissenschaften haben in der gegenwärtigen Zusammensetzung des Lehrercollegiums ihren Vertreter leider noch nicht gefunden, und haben wir die Schlüssel zu dem von der Landschaft der Schule zur Disposition gestellten naturwissenschaftlichen Apparate in die Hände des Herrn Landesgevollmächtigten Wesselhöfft zurückliefern müssen. Dagegen sind wir beschäftigt, mit Hülfe des Herrn Branddirectors Henrici die der Schule selbst zuständige Mineraliensammlung zu ordnen, hoffend, daß auch dieser Zweig des Unterrichts bald ebenfalls in sein Recht werde eingesetzt werden können.

II. Lectionsbericht.*)

Prima.

Religion. (2 St.) Ueber den Begriff der Religion und Offenbarung, über die Aufgabe der protestantischen Kirche und die Lehre von Gott und von der Welt, nach Hagenbach's Leitfaden zum christlichen Religionsunterricht, § 1—6. 68—71. Lectüre der Epistel an die Galater und des Evangeliums Johannis, Cap. 12—Ende. **Kolster.**

Latein. Cicero (2 St.), Orator und Tusculanae Quaestiones III. IV. Horaz (2 St.), Sat. I, 1. 4. 10. II, 1. 6. I, 7. 8. 9. Juvenal, Sat. 1. 3. Aus den ersten drei Büchern der Oden und den Epoden die durch die Zeitereignisse veranlaßten, so wie die an Mäcenas und den vertrauten Freundeskreis. Exercitien (2 St.) nach Seyffert's Palaestra. Grammatik nach Kühner's Schulgrammatik. Extemporalien. **Kolster.** — Tacitus (2 St.), Annales II. III, 1—30. Dr. **Witt.** — Tacitus, Annales III, 34.—VI. Conr. **Hagge.**

Griechisch. Sophocles (4 St.), Electra. Euripides, Medea. Plato, Menexenus, Krito und Apologie. Exercitien nach Caesar, d. b. G. II. III. **Kolster.** — Thucydides* VI, 1—76. (2 St.) Dr. **Witt.** — Demosthenes† (3 St.), Olynth. I. II. III. Philipp. I, de pace. Philipp. II. III. Subr. **Jungclaussen.**

Deutsch. (2 St.) Leitung der schriftlichen Arbeiten. Besprechung der verschiedenen Formen der Dichtung, darnach der Werke Klopstock's und Lessing's. **Kolster.**

Englisch. (1 St.) Shakespear, Henry IV. Thl. 2. Macaulay, history of England, II, 1—35. **Jansen.** — Macaulay II, 35—178. Conr. **Hagge.**

*) Um lästige Wiederholungen zu vermeiden, sei hier bemerkt, daß, wo zwei Lehrer in einem Unterrichtszweige genannt sind, der erste bis Michaelis demselben vorgestanden hat und daß er nachher an den zweiten übergegangen ist. Ferner bezeichnet das Zeichen * einen nur bis Michaelis, † einen erst seit Michaelis ertheilten Unterricht.

Französisch. (2 St.) Lamartine, Voyage en orient. Extemporalien und Exercitien aus Schiller's Abfall der Niederlande. **Jansen.** — Corneille, Cid. Molière, l'avare. Die beiden ersten Acte von Schiller's Neffe als Onkel ins Französische übersetzt. Dr. **Kallsen.**

Dänisch. (2 St.) Ingemann, Valdemar Seier, Bd. I, S. 96—II, 66. **Kolster.** — Ingemann, Valdemar Seier, II, 68—III, 117. Conr. **Hagge.**

Hebräisch. (2 St.) Ausgewählte Abschnitte aus dem alten Testament, meist historischen Inhalts, zuletzt einige Psalmen. Grammatik nach Ewald. Dr. **Hansen.**

Geschichte. (2 St.) Mittlere Geschichte. Dr. **Delff.**

Antiquitäten. † (2 St.) Römische. Dr. **Kallsen.**

Mathematik. (3 St.) Trigonometrie. Dr. **Pechtmann.** — Binomischer Lehrsatz, arithmetische und geometrische Progressionen, Zins- und Rentenrechnung, Kettenbrüche. Conr. **Hagge.**

Naturwissenschaften. * (3 St.) Mineralogie und Geognosie. Dr. **Pechtmann.**

Secunda.

Religion. (2 St.) Die Lehre von der Heilsordnung und die Pflichtenlehre bis zu den Pflichten gegen den Staat, die Kirche und Familie. **Kürschner.** — Die Lehre von den Sacramenten. Lectüre des Evangeliums Marci. **Kolster.**

Latein. (8 St.) Cicero, pro lege Manilia. Dr. **Witt.** — Briefe nach Süpfle's Auswahl, Abschnitt VII. Conr. **Hagge.** — Livius XXI, 1—33. Dr. **Witt.** — Livius XXII. Conr. **Hagge.** — Exercitien nach Süpfle's Stilübungen. Dr. **Witt.** Conr. **Hagge.** — Virgil, Auswahl aus B. IX. X. XI der Aeneis und den Georgica. **Kolster.**

Griechisch. Plutarch, Pompejus 1—45. Dr. **Witt.** (3 St.) — Homer, Ilias V, 492—766. VI. IX, 1—306. Exercitien aus Halm's Griech. Elementarbuch. **Jansen.** (3 St.) — Xenophon's Memoiren I, 1. 2. II, 1—4. III, 2. 6. 7. 12. IV, 8. Exercitien nach Halm, die Lehre vom Casus. Grammatik nach Curtius. Subr. **Jungclaussen.** (4 St.) — Homer, Odyssee XX—XXIV. Dr. **Kallsen.** (2 St.)

Deutsch. (2 St.) Rückgabe der schriftlichen Arbeiten. Erklärung ausgewählter Balladen von Bürger, Schiller, Göthe und Uhland, so wie Schiller's Lied von der Glocke. Dr. **Witt.** — Aufsätze. Einleitung in die Poetik und die Grundbestimmungen des Epos. Subr. **Jungclaussen.**

Englisch. (2 St.) Grammatik nach Gantter. Lectüre aus Gantter's Chrestomathie. Extemporalien über das Gelesene. **Jansen.** — Desgleichen Conr. **Hagge.**

Französisch. (2 St.) Cornand, Lectures françaises. Extemporalien und Exercitien nach Müller's Grammatik, Thl. 2. **Jansen.** — Schwob Dollé Chrestomathie, Thl. 2. Exercitien nach Müller. Dr. **Kallsen.**

Dänisch. (2 St.) Ingemann, Kong Erik og de Fredlese I, S. 1—151. **Kürschner.** — I, 120—238. II, 1—61. Extemporalien. Subr. **Jungclaussen.**

Hebräisch. (2 St.) Nach Ewald's Hebräischer Sprachlehre für Anfänger und Schwarz' Hebräischem Lesebuch. Dr. **Hansen.**

Geschichte. (2 St.) Römische Geschichte von den Gracchen bis zum Mittelalter. Nach Michaelis: Geschichte der Aegypter, Semiten, Inder, Meder und Perser nach Dunker's Geschichte des Alterthums. Dr. **Delff.**

Geographie. † (2 St.) Italien, Griechenland und Spanien mit besonderer Berücksichtigung der alten Geographie. Dr. **Delff.**

Mathematik. (3 St.) Potenzen, Wurzeln und Logarithmen nach Heis. Dr. **Pechtmann.** — Planimetrie nach Kroll. Conr. **Hagge.**

Naturwissenschaften.* (2 St.) Gleichgewicht flüssiger und luftförmiger Körper. Dr. **Pechtmann.**

Parallelunterricht der am Griechischen nicht Theil nehmenden Schüler.* Akustik und Optik (2 St.), mit Tertia combinirt. — **Mathematik.** Gleichungen des ersten Grades mit einer unbekannten Größe. (2 St.) Dr. **Pechtmann.**

Tertia.

Religion. (2 St.) Luther's kleiner Katechismus, Hauptstück 1. **Kürschner.** — Hauptstück 2, Art. 1. und 2. **Beckmann.** — Reformationsgeschichte nach Zahn's Handbuch § 159—166. **Kürschner.** — Geschichte vom Augsburger Religionsfrieden bis auf die Gegenwart. **Beckmann.**

Latein. Caesar (3 St.), de bello Gall. I—III. VII. Exercitien (2 St.) nach Spieß, Uebungsbuch für Tertia nebst Grammatik. Dr. **Delff.** — Ovid, Metamorphosen (2 St.) XIII, 1—522. Dr. **Witt.** — VI, 146—400. VII, 1.—349. 490—660. Subr. **Jungclaussen.**

Griechisch. Obere Abtheilung. (2 St.) Homer, Odyssee XII. XIII. (2 St.) Xenophon, Anab. V. VI. nebst wöchentlichem Exercitium nach Schenkl. Dr. **Delff.** — Xenophon, Anab. VII. und I. in Auswahl. Homer, Odyssee XIV. und ein Theil von VI. Grammatik nach Curtius. Exercitien nach Schenkl. Subr. **Jungclaussen.** — Untere Abtheilung.* Grammatik nach Curtius, Lesen und Exercitien nach Schenkl. Dr. **Delff.**

Deutsch. (3 St.) Grammatik nach Hoffmann's Elementargrammatik. Anfangsgründe der Metrik. Declamation von Poesie und Prosa. Lectüre nach Mager's Lesebuch. Leitung der schriftlichen Arbeiten. Dr. **Delff.**

Englisch. (2 St.) Gantter's Grammatik mündlich und schriftlich eingeübt. **Jansen.** — Gantter's Grammatik und Chrestomathie. Dr. **Kallsen.**

Französisch. (2 St.) Schwob Dollé Chrestomathie, Thl. 1. Grammatik und Exercitien nach Müller's Grammatik, Thl. 1. **Jansen.** — Desgleichen Dr. **Kallsen.**

Dänisch. (2 St.) Holst, Dansk Læsebog, prosaischer Theil S. 22—59. **Kürschner.** — S. 59—75. und S. 96—133. Repetitionen der Grammatik und Uebungen im Uebersetzen ins Dänische nach Sternhagen's der kleine Däne. **Beckmann.**

Geschichte. (2 St.) Mittlere und neue. Dr. **Delff.**

Geographie. (2 St.) Europa mit Ausnahme von Mitteleuropa. Dr. **Pechtmann.** — Deutschland und Italien. Dr. **Delff.**

Mathematik. (3 St.) Planimetrie mit Ausnahme der Aehnlichkeits- und Kreislehre. Dr. **Pechtmann.** — Planimetrie nach Kroll. Conr. **Hagge.**

Naturgeschichte. (2 St.) Insecten. Dr. **Pechtmann.** — Fische und Amphibien. **Pünz.**

Zeichnen. (1 St.) **Jansen. Pünz.**

Parallelunterricht. S. oben Secunda; außerdem besonders Rechenunterricht. (2 St.) **Pünz.*** — 2 St. Decimalbrüche und Elemente der Buchstabenrechnung, darnach geometrisches Zeichnen. Conr. **Hagge.**† — 2 St. Physik nach Schödler's Buch der Natur, § 1—63, die Erscheinungen der Anziehung. **Pünz.**†

Quarta.

Religion. (2 St.) Luther's kleiner Katechismus, Hauptstück 1. **Kürschner.** — Hauptstück 2. Art. 1. 2. **Beckmann.** — Biblische Geschichte. (1 St.) Zahn's Handbuch, § 17—59. **Kürschner.** — § 60—228. **Beckmann.**

Latein. (7 St.) Abtheilung A. Delff's Blumenlese. Dr. **Delff.** — Rothert's kleiner Livius. Grammatik und Exercitien nach Spieß's Uebungsbuch für Quarta. **Jansen.** — Nach

Michaelis fortgesetzt von Dr. **Kallsen.** — Abtheilung B. (7 St.) Einübung der Conjugationen und schriftliche Uebungen nach Kühner's Elementargrammatik der Lateinischen Sprache. Dr. **Witt.**, fortgesetzt von Dr. **Delff.** — Lectüre von Kühner's Elementargrammatik, brevis conspectus historiae Romanae. **Jansen.**, fortgesetzt von Dr. **Kallsen.**

Griechisch.† (4 St.) Grammatik nach Curtius bis zu den Verben auf μι; Lectüre nach demselben. Subr. **Jungclaussen.**

Deutsch. (3 St.) Wöchentlich ein Aufsatz und Declamirübungen. Ausgewählte Stücke aus Wackernagel's Lesebuch gelesen und erklärt. **Kürschner.** — Deutsche Aufsätze. Grammatik nach Hoffmann. Declamationen. Dr. **Kallsen.**

Französisch. (2 St.) Ahn, Lehrgang. **Jansen.** — Uebersetzung aus Ahn's Practischer Lehrgang. Einübung der regelmäßigen Conjugationen. Dr. **Kallsen.**

Dänisch. (2 St.) Nach Sternhagen's der kleine Däne, die Grammatik eingeübt bis § 31 und daneben die Uebungsstücke S. 215—218 gelesen. **Kürschner.** — Sternhagen S. 218—242. Einübung der Grammatik bis zur Syntax. **Beckmann.**

Geschichte. (2 St.) Mittlere, nach Keber's Leitfaden. Dr. **Delff.** — Neue, Keber § 82—128. **Beckmann.**

Naturgeschichte. (2 St.) Kerbthiere, Fische und Amphibien, nach Schubert, Naturgeschichte. **Pünz.**

Geographie. (2 St.) Europa. **Pünz.**

Mathematische Vorübungen.* (1 St.) Arithmetik nach Heis. Dr. **Pechtmann.**

Rechnen. (4 St.), wovon 2 mit Quinta combinirt, nach Saß, Rechenbuch. **Pünz.**

Schreiben. (3 St.), mit Quinta combinirt. **Pünz.**

Zeichnen. (2 St.), mit Quinta combinirt. **Jansen. Pünz.**

Quinta.

Religion. (2 St.) Luther's kleiner Katechismus, Hauptstück 3—5. **Pünz.** Erstes und zweites Hauptstück. **Beckmann.** — Biblische Geschichte des Alten Testaments. **Pünz.** Fortsetzung. **Beckmann.**

Latein. (6 St.) Kühner's Elementargrammatik, Cursus 1 bis zum Demonstrativpronomen. **Kürschner.** — Vom Pronomen bis zum Deponens der 4 Conjugationen. **Beckmann.**

Deutsch. (5 St.) Aufsätze, größtentheils Wiedererzählungen. Lese- und Declamirübungen, nach dem Darmstädter Lesebuch. Sprachlehre, nach Kolster, Die ersten Grundbegriffe der Grammatik. **Pünz.**

Geschichte. (2 St.) Alte, nach Volger's Leitfaden bis § 32. **Kürschner.** — Vom Ende der Punischen Kriege bis zum Ende des Mittelalters. **Beckmann.**

Geographie. (2 St.) Uebersicht sämmtlicher Welttheile. **Pünz.**

Naturgeschichte. (2 St.) Kerbthiere. Botanik. Wirbelthiere. **Pünz.**

Rechnen. (4 St., **Pünz.**), wovon 2, wie die **Schreib-** und **Zeichenstunden,** mit Quarta combinirt.

Der Gesangunterricht ward, wie in den vorigen Jahren, vom Herrn Organisten **Piening** in 3 Abtheilungen geleitet, die gymnastischen Uebungen den Sommer hindurch von Herrn **Lademann.**

III. Examen und Schulfeier.

Das öffentliche Classenexamen wird im Classenlocale vom 26sten bis 30sten März, in den Nachmittagsstunden von 2 bis 5 Uhr, abgehalten werden. Um der Collision mit dem Confirmandenunterricht auszuweichen, werden wir am Montage, den 26sten, mit der Secunda beginnen und dann zunächst Prima am Dienstage, darauf Tertia, Quarta und Quinta folgen lassen.

Am Sonnabend, den 31sten, wird dann dieses Schuljahr mit der herkömmlichen Schulfeier abschließen. Herr Subrector Jungclaussen wird sie im landschaftlichen Saale, Morgens 10½ Uhr, durch eine Rede eröffnen. Darnach werden von der Schule Abschied nehmen:

der Abiturient Christian Heinrich Germar aus Heide durch eine Rede über den Grundgedanken der Antigone des Sophocles, und

der Abiturient Wilhelm Ernst Heinrich Germar aus Heide, indem er den Herodot in seiner Thätigkeit als das Kind seiner Zeit zu schildern versucht.

Zur Erwiederung wird

der Primaner Ernst Heinrich Helmcke Nissen aus Lunden, anknüpfend an eine Entwickelung, wie die Medea des Euripides neben Furcht und Entsetzen Mitleid erregt, ein Wort des Abschiedes Namens der Mitschüler sprechen,

worauf dann der Unterzeichnete den sämmtlichen zur Universität oder ins bürgerliche Leben übergehenden Schülern ihre Schulzeugnisse einhändigen und sie feierlich entlassen wird.

Zu freundlicher Theilnahme an beidem, Examen und Schulfeier, ladet das Rectorat geziemend die verehrten Eltern und Angehörigen der Schüler, so wie alle Freunde der Schule ein.

Kolster, ph. Dr., Rector.